

officiis interesse minime possunt, Nobis propterea supplicari fecerunt, ut celebrationem ejusdem festivitatis s. Joannis Nep. quoad dictam confraternitatem una cum plen. Indulg. a die 16. Maji ad diem 16. Septbr., quo regia aula in villa praedicta morari solet, transferre dignaremur.

Nos igitur votis hujusmodi libenti animo annuere volentes celebrationem festivitatis s. Joannis Nep. quoad confraternitatem praedictam una cum plen. Indulg. ad 16. Sept., quo in eadem ecclesia missa et off. eodem ritu, quo prius 16. Maji celebrabatur, celebrari possint et valeant, tenore praesentium perpetuo transferimus.

Romae die 2. Jan. 1770.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 125. Ed. Rom. 1841.)

l) Qualbertus.

De ejus cognomine, vd.: *Cognomina Sanctorum* (dicenda n. 4985; non dicenda n. 5157; 4746) De ejus Canonisatione, vd.: *Constitutio Coelestini III. die 6. Oct. 1193* in Bull. rom. tom. I. p. 50.)

S. JOSEPH C.

a) Commemoratio.

Vd.: *Despons. B. V. M.; A cunctis.*

Consulendum SSmo. pro additione permissiva nominis s. Joseph Sponsi B. V. M. in collecta: *A cunctis.* Et facta relatione S. S. benigne annuit. S. R. C. 17. Sept. 1815 in *una Urbis et Orbis.*

Pius PP. VI.

Emanavit nuper ad supplicationem dilectorum filiorum moderni decani nuncupati Cathedralis Ecclesiae Popayanensis in Indiis ac cleri ejusdem civitatis et dioecesis a congregatione

venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet:

Popayanen in Indiis occidentalibus.

Supplicationibus SSmo. Dno. Nostro Pio PP. VI. hodierno decano ecclesiae cathedralis Popayanensis in Indiis occidentalibus et clero ejusdem civitatis et dioecesis ob peculiarem devotionem, quam erga sanctum Josephum beatae Mariae virginis sponsum profitentur, pro facultate peragendi in praefata civitate et dioecesi commemorationem praedicti sancti Josephi in officio et missa desponsationis ejusdem beatae Mariae virginis, Sanctitas Sua ad mei infrascripti secretarii relationem hujusmodi instantiis benigne annuendo, gratiam juxta petita oratoribus benigne concessit. Die 15. Novembris 1787.

M. Card. Marefusus praefectus.

Cum autem, sicut pro parte eorundem decani et cleri Nobis nuper expositum fuit, ipsi decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat, apostolica confirmationis Nostrae patrocinio communi summopere desiderant, Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Non obstantibus Quibuscunque.

(Bull. r. Continuatio t. V. p. 470. Ed. Rom. 1847.)

Pius PP. VI.

Cum, sicut venerabilis frater modernus Episcopus sanctae Crucis della Sierra in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ipse pro peculiari sua suique

populi erga sanctum Josephum devotione, in officio et missa Desponsationis beatae Mariae virginis commemorationem ejusdem Sancti Josephi ejus sponsi ab utroque clero suae civitatis et dioecesis praedictae fieri posse summopere cupiat, Nos dictum modernum Episcopum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum ab utroque clero civitatis et dioecesis sanctae Crucis della Sierra in Indiis commemoratio sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis in officio et missa Desponsationis ejusdem beatae Mariae virginis peragi libere et licite possit ac valeat, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur.

Datum Romae die 30. Septembris 1785.

(Bull. r. Continuat. t. VII. p. 447 Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Nuper pro parte dilecti filii moderni procuratoris generalis fratrum ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum in nova Hispania expositum fuit, quod ad magis magisque augendam erga beatam virginem Mariam et sanctum Josephum sponsum, praecipuos dicti ordinis patronos, devotionem, praesertim in Mexicana ejusdem ordinis provincia summopere conducere, ut ab omnibus utriusque sexus religiosis provinciae hujusmodi tam in officio et missa festivitatis sancti Josephi, quam in alia Desponsationis beatae Mariae virginis fieret reciproca eorum commemoratio, quoties officium de iis recitari contingeret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum ab omnibus utriusque sexus religiosi ordinis beatae Mariae virginis de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum provinciae Mexicanae tam in officio et missa festivitatis sancti Josephi quam in alia Desponsationis beatae Mariae virginis fiat reciproca eorum commemoratio, quoties de iis officium recitari contingat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 9. Febr. 1787.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 693. Ed. Rom. 1843.)

b) Dies festus, Ritus et Translat.

Vd.: *Patrocinium s. Joseph.*; *Annunciat. B. V. M.*; *S. Benedictus*; *Lytaniae Sanctor. Omn.* (add. licita).

Diem festum s. Josephi, Sponsi B. M. V. deinceps perpetuis futuris temporibus sub observantia et praeepto comprehendendi, cunctosque Christifideles ubique terrarum ab omni opere servili eo die abstinere et cessare debere. n. 598 die 8. Maji 1621.

Officium s. Josephi Sponsi B. V. M. cum novis antiph., versibus, lectionibus I. n., respons. et capitulis approbavit et ab omnibus Christifidelibus tam saecul. quam regul., qui ad horas canonicas tenentur, die 19. Mart. in festo s. Josephi in posterum recitari et in Breviario apponi mandavit S. R. C. 3. Febr. 1714 annuente Clem. XI. die 4. ejusd. mens. et anni.

(Bull. r. t. VIII. p. 437.)

Occurrente festo s. Josephi, quod est dupl. 2. class., in fer. 6. post dom. Passionis (fest. 7. dolor. B. V. M. quod est dupl. majus) faciendum est Officium de s. Josepho ut dignius. n. 2883 ad 2 die 6. Maji 1679.

Vd.: *Septem dolor. B. V. M.*

Ad petitionem Episcopi Civitatis Angelorum in Indiis facultatem recitandi Officium transitus (*obitus*) s. Joseph die 20. Julii, S. C. resp.: Nihil videri concedendum. Siquidem irrepsit, ut credatur plerisque tali die obiisse s. Joseph sponsum B. V. M. et proinde celebretur transitus illius, cujus obitum Ecclesia celebrat die 19. Mart. Die autem 20. Julii non Joseph Sponsus B. V. sed *Joseph Justus*, qui missus est in sortem cum Mathia, spiritum reddidisse fertur et quia tum Joseph Sponsus Mariae nominatur justus in Evangelio, ideo error inde manavit. n. 2073 die 11. Septembr. 1660.

Festum transitus s. Joseph, Sponsi B. V. M. die 20. Julii, cum in Urbe prohibendum, tum extra Urbem omnino ne inducatur vel alio quovis pacto celebretur praecavendum esse et Breve Indulgentiarum R. P. D. Ugo- linus repetat et laceret. n. 2081 die 20. Novb. 1660.

Ad dubium: An in anno, quo festum s. Josephi cadit fer. 2. 3. vel 4. hebdom. maj., possint cantari duae missae, altera de fer., altera de festo, ubi est concursus Confraternitatis et totius populi, vel saltem possit fieri ab illis processio, aut etiam sit transferenda vel omittenda illo anno; et si non possunt cantari duae missae, an possit dici missa privata de s. Josepho, faciendo postea processionem? S. C. resp.: In hebdom. majori utraque omittenda. n. 2250 ad 1 die 4. Aug. 1663.

Quando contingit transferri festum s. Joseph et Annunciationis B. V. M. debet prius reponi festum, quod prius in Calendario celebrandum erat. n. 2988 ad 5 die 13. Junii 1682.

Ad idem dubium ut supra n. 2988: Quando contingit transferri s. Joseph et Annunciationis B. V. M. festa ambo 2. cl. quaeritur: An recitari debeat

prius Officium de Annuntiatione, non obstante decreto in contrarium, si tamen sit emanatum, ut affirmant Nonnulli, ad hoc, ut fiat Officium altioris ordinis, saltem ratione personae, quamvis in ritu sint aequalia? S. C. resp.: *Prius recitandum Officium translatum de Annuntiatione.* n. 3005 ad 6 die 28. Decb. 1682.; 28. Novb. 1682 in Favent.; 30. Junii 1689.

DECRETUM GENERALE.

Ad dubium: an occurrente festo s. Josephi in fer. V. maj. hebdom. una cum Officio ipsius transferri debeat etiam obligatio audiendi missam ac vacandi ab operibus servilibus? S. C. resp.: Officium transferendum esse ad aliam diem juxta rubricas; praeceptum audiendi missam et vacandi ab operibus servilibus non esse transferendum, sed servandum esse in praedicta fer. V., adeoque per Ordinarios locorum accurate providendum ut eo die aliquae quidem missae privatae ante celebrationem solitae missae conv. celebrandae pro praecepto implemento non desint; sed tamen propterea antiquus mos communionis Cleri in missa solemnii ejus diei, quo Ecclesia ss. Sacramenti institutionem et memoriam recollit, summa religione hactenus retentus, nullatenus omittatur. n. 3289 die 13. Sept. 1692; n. 3294 ad 1 die 13. Sept. 1692. (Vd. etiam Bull. r. t. VII. p. 307.) 10. Jan. 1693 ad 13. In Galliar.

Hae missae dici debent cum *Gloria et Credo.* n. 4526 ad 15 die 7. Sept. 1816.

Missae in praedicto casu dici non potest de s. Joseph, etiam ubi est Titularis. *Ibidem ad 16. Festum s. Josephi concurrens cum festo s. Benedicti,* vd.: S. *Benedictus* decr. n. 3702.

Cum in Civitate et Dioecesi Lucana

contra praescriptum Decreti Generalis die 13. Septembris 1692 occasione Festivitalis S. Josephi Feria V. in Coena Dom. occurrentis emanati, quo permissum fuit pro satisfaciendo praecepto dicta die plures Missas celebrari ante Missam conventualem, irrepsit abusus celebrandi in omnibus Ecclesiis tam Regularium quam Confraternitatum, januis semiapertis, plures Missas ante conventualem; propterea Episcopus Lucanus pro declaratione: An liceat a quibusvis Sacerdotibus in quacumque Ecclesia, seu Oratorio, etiam januis clausis, praeter Missam conventualem dictas Missas celebrari? humiliter supplicavit.

Et S. eadem C.:

Dictas Missas nedum non celebrandas, verum etiam prohibendas esse decrevit et declaravit; firmo tamen remanente Decreto Generali sub praedicta die emanato. n. 3922 die 28. Januarii 1719.

Supplicatum fuit pro elevatione festi s. Joseph a ritu dupl. 2. cl. ad ritum 1. cl. pro civitate et Dioecesi Hispanen. S. C. resp.: Dilata et ad mentem. n. 4039 ad 1 die 26. Novembris 1735.

Precibus Archiepiscopi Hispanen. pro elevatione Officii s. Joseph ad ritum dupl. 1. cl. S. C. rescripsit: Pro gratia elevationis absque octava. n. 4041 die 21. Apr. 1736.

Pius PP. VII.

Quum V. Fr. modernus Archiepiscopus Valentinus ac dilecti filii Capitulum et Canonici Cathedralis ejus ecclesiae Nuper nobis fecerint supplicari ut ob rationes et causas in eorum precibus enarratas dominicam secundam post pascha festo s. Joseph sponsi beatae Mariae virginis cum officio et missa, loco diei proprii 19. Martii, assignare in perpetuum pro civitate

et dioecesi Valentina benigne digneremur, Nos praenominatos Archiepiscopus Capitulumque et Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in posterum perpetuis futuris temporibus in *Valentina civitate et dioecesi universa* festum s. Joseph sponsi B. M. V. cum officio et missa loco diei proprii 19. Martii, libere ac licite celebrari possit et valeat in dominica secunda post Pascha, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus et ad hunc effectum festum hujusmodi transferimus praedictamque dominicam pro illo assignamus.

Datum Romae die 12. Decembris 1806.

(Bull. r. Continuat. t. XIII. p. 73.)

Pius PP. VII.

Quum, sicut Nobis exponi nuper fecerunt venerabilis frater Archiepiscopus et dilecti filii Capitulum ecclesiae cathedralis *Valentinae*, Nos alias ritum festi s. Joseph beatae Mariae virginis sponsi peculiariter in civitate et dioecesi ista servandum transtulerimus in perpetuum a die decima nona Martii ad dominicam secundam post pascha; quumque iidem Archiepiscopus atque Capitulum cupiant nunc humiliterque deposcant super eodem ritu aliud a Nobis provideri opportune ac ut infra indulgeri, Nos ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium ritum ejusdem sancti praedicti a duplici secundae classis ad *duplicem primae classis* cum octava pro *eadem civitate et dioecesi* elevamus, atque ibidem in posterum diem ipsum XIX. Martii inter feriales fore ac esse recensendum et tam praeceptum missam eo die audiendi

quam cessandi a laboribus neminem amplius teneri declaramus atque decernimus.

Datum Romae die 15. Septembris 1807.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 227.)

c) Officium et Missa votiva.

Pius PP. VI.

Cum sicut venerabilis frater modernus Episcopus sanctae Crucis della Sierra in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ipse ob maximam devotionem, qua uterque clerus et populus civitatis et dioecesis sanctae Crucis della Sierra praedictae erga sanctum Joseph beatae Mariae virginis sponsum (ut asserit) fervet in dies, officium et missam propriam ejusdem sancti Joseph semel in mense recitari et respective celebrari summopere cupiat, Nos dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinatis, ut in posterum ab utroque clero civitatis et dioecesis sanctae Crucis della Sierra in Indiis officium et missa propria dicti sancti Josephi semel in mense die non impedita sub ritu semiduplici (exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum vigiliarum sive cum jejunio sive absque jejunio, nec non feria secunda rogationum atque illis feriis, in quibus secundum rubricas sit reponendum officium dominicae aut de festo duplici vel semiduplici translato) recitari et celebrari libere et licite valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 13. Septembris 1785.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 438 Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Cum sicut dilectus filius modernus procurator generalis fratrum ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum nomine superiorum et fratrum provinciae Mexicanae dicti ordinis Nobis nuper exponi fecit, provincia praedicta ad suae devotionis augmentum, missam propriam sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis cum commemoratione desponsationis ejusdem, die decima nona cujuslibet mensis cum cantu celebrare posse summopere cupiat, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinatis, ut in posterum a fratribus memorati ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo excalceatorum provinciae Mexicanae die decima nona cujuslibet mensis celebrari possit cum cantu missa propria sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis cum commemoratione desponsationis ejusdem cum sancto Josepho, exceptis duplicibus primae et secundae classis, non omissa tamen missa conventuali de festo occurrente, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 16. Junii 1786.
(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 648. Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Emanavit dudum a Congregatione VV. FFr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet:

QUITEN.

Ad magis promovendam devotionem, quae apud clerum et populum civitatis

et dioecesis Quitensis in regno Peruano erga patriarcham s. Josephum beatae Mariae virginis sponsum maxime viget, reverendissimus hodiernus Episcopus una cum clero saeculari et regulari ejusdem civitatis et dioecesis; pro indulto recitandi semel in mense die non impedita officium votivum cum missa praefati sancti patriarchae SS. D. N. Clementi PP. XIV. humillime supplicarunt et Sanctitas sua ex speciali gratia petatum officium cum missa a Clero saeculari et regulari praedictae civitatis et dioecesis sub ritu semiduplici semel in mense die non impedita recitari et respective celebrari possint benigne concessit, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum et vigiliarum sive cum jejunio sive absque jejunio, nec non feria secunda rogationum, atque illis feriis, in quibus juxta rubricas sit reponendum officium dominicae, aut de festo duplici vel semiduplici translato. Die 8. Julii 1769.

H. Card. Chisius praefectus

V. Macedonius S. R. C. sec.

Cum autem, sicut venerabilis frater modernus Episcopus de Quito in Indiis nec non clerus et populus ejusdem civitatis et dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinatis, decretum praesertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus omnesque et

singulos juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Datum Romae die 12. Septembris 1786.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 661 Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres confraternitatis sancti Josephi et animarum purgantium coemeterii hospitalis Bethlehem nuncupati civitatis SS. Trinitatis de Buenos Ayres in Indiis, quod ipsi pro eo, quod erga eundem sanctum Josephum gerunt devotionis, affectu, in septenario, quod in ejus honorem quotannis celebrare consueverunt seu intendunt, unam missam votivam solemnem propriam, ut in die ejus festo, celebrari facere posse summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes hujusmodi supplicationibus inclinatis, eisdem ac pro tempore existentibus confraternitatis praedictae confratribus, ut in posterum in eorum ecclesia per septem dies, in quibus quotannis peragetur dictum septenarium in honorem ejusdem sancti Josephi, una missa votiva solemnis propria, ut in die ejus festo, ad instar votivae, quotidie, dummodo non occurrat festum duplex primae et secundae classis vel dominica aut feria privilegiata, celebrari libere et licite possit et valeat auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 12. Jun. 1793.

(Bull. r. Contin. t. IX. p. 318.)

Pius PP. VI.

Quum sicut dilecti filii sodales titulo sancti Josephi et animarum defunctorum coemeterii hospitalis Bethlehem in ecclesia constituti civitatis de Buenos Ayres in Indiis exponi Nobis nuper fecerunt, pro eo ipsi, quo sunt incensi in patronum suum principem, studio ac pietate ejus cultum invalescere in dies proferrique latius exoptent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur praefatos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in praedicta ecclesia post-hac die decima nona cujusque mensis vel ea impedita, dominica sequenti celebrari una missa votiva propria valeat, ut in festo sancti Josephi sponsi Beatae Mariae Virginis, cum cantu, duplicibus tamen primae et secundae classis exceptis rubricisque diligenter servatis, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 1. Apr. 1794.
(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 364.)

Pius PP. VII.

Cum, sicut dilecti filii clerus et populus civitatis et dioecesis *Cusanae* Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo in s. Josephum beatae Mariae virginis sponsum afficiuntur devotionis affectu, ejusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in posterum quotannis die decimonono unius cujusque

mensis non impedito tamen officio novem lectionum ab *utroque clero ejusdem civitatis et dioecesis* recitari possit ritu semiduplici officium cum missa in honorem ejusdem sancti Josephi, ut in die proprio ejus festi, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum et vigiliarum sive cum jejuniis sive absque jejuniis, feria secunda rogationum ac iis in feriis, in quibus ex rubricarum dispositione sit reponendum officium de dominica sive de festo translato, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 13. Septembris 1805.

(Bull. r. Continuatio t. XII. p. 371.)

Leo PP. XII.

Quum, sicut venerabilis frater Raphael Lazo de-la-Vega Episcopus Emeritensis Nobis exponi curavit, Christifideles illius dioecesis divum Joseph beatae Mariae virginis sponsum praedictae Emeritensis civitatis patronum singulari et ferventi prosequantur devotione cupiantque deinde quorumcumque anni mensium die decima nona ejusdem sancti missam votivam cum officio in universa praedicta dioecesi in posterum celebrari posse, praedictus Episcopus iteratis precibus a Nobis exposulavit, ut suae suorumque dioecesanorum devotioni Nostrae apostolicae indulgentiae caliar addamus: Nos igitur hujusmodi votis, quantum cum Domino possumus, obsecundare volentes auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus atque permittimus, ut perpetuis futuris temporibus in universa *Emeritensi dioecesi die decima nona cujuscumque mensis, tempore tamen adventus et quadragesimae ac omnibus et singulis feriis, vigiliis et octavis privilegiatis exceptis*, ac dummodo in die praedicta

festum ritus majoris non occurrat, missa votiva cum officio divi Josephi sponsi beatae Mariae virginis sub ritu semiduplici a clero tum saeculari tum regulari et a cujuscumque ordinis monialibus servata in reliquis generali rubrica celebrari libere et licite possit et valeat. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum die decima octava Aprilis 1828.

(Bull. r. Contin. t. XVII. p. 354.)

S. IRENAEUS.

1. Omnibus foederatae Americae Septemtrion. Dioecesibus concessum est Officium S. Irenaei Ep. Mart. nulla assignata die, qua recitari debeat. Quum autem hoc Festum in Martyrologio pronuncietur die XXVIII. Jun., quaeritur, an de eo fieri debeat hac ipsa die 28. Junii, festo. . . S. Leonis ad diem VII. Julii fixe iranslato?

2. In Indulto Apostolico exprimitur: Officium S. Irenaei simpliciter et sine addito. Porro ea fuit mens Patrum Concilii Baltimoreae prout hoc Officium Lugduni in Gallia celebratur: at ex quibusdam Rom. Breviarii editionibus videtur quod id Festum Lugduni celebratur de S. Mart. Irenaeo Ep. et Sociis ejus. Quaeritur itaque: utrum in hisce Foederatae Americae Dioecesibus faciendum sit de S. Irenaeo tantum vel de SS. Martyribus Episcopo et Sociis ejus?

3. Si Officium sit de S. Irenaeo tantum, undenam desumendae sunt Lectiones II. et III. Noct. ac Missa?

4. Si fiat de S. Irenaeo et Sociis ejus, possuntne tamquam adprobatae haberi illae Lectiones in Gallia recitatae ab illis, qui Rom. Breviario utuntur?

5. In Seminario et Collegio S. Mariae Baltimorensis die XXVIII. Junii

Decreta authentica.

fit de die octava S. Aloysii. Posito igitur quod de S. Irenaeo vel de S. Irenaeo et Sociis ejus hac die fieri debeat in Provincia Ballimor., quaeritur: utrum in praedicto Seminario et Collegio Festum S. Irenaei vel S. Irenaei et Soc. ejus transferri possit ad diem III. Julii et S. Leonis Festum ad diem VII. Julii?

Emus. itaque ac Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. . . rescribi mandavit:

Ad 1.: „Servetur dies Martyrologii Rom.“

Ad 2. et 3.: „De S. Irenaeo tantum cum Lectionibus II. Noct. adprobatis die 21. Apr. 1784.“

Ad 4.: „Jam provisum.“

Ad 5.: „In primam diem non impeditam.“ n. 4928 sine Dato (Videtur esse 22. Maji 1841.)

IRREGULARITAS.

(Dispensatio.)

Vd.: *Indult.* (revoc. VII.)

ISTE CONFESSOR.

Vd.: *Meruit beatas etc.*

ITE MISSA EST.

Ad dubium: An Sacerdos dicere debeat in missa sol.: *Ite missa etc. Benedicamus etc. et Requiescant etc.* vel dicantur tantum a Diacono? S. C. resp.: Quoad *Ite missa est* negative; quoad *Bened.* et *Requiescant etc.* affirmative. n. 4526 ad 36 die 7. Sept. 1816.

Vd.: *Organum* (ad: *Ite missa est.*)

JUBE DOMINE (DOMNE.)

1) Ad cant. Evangelium.

Diaconus (cantans Evang. in lotionem pedum Fer. V. Coena D.) petit benedictionem dicens: *Jube Domne etc.*